

natur? Ipsos hic non refugio iudices, quos Articuli ante nati sunt è Schola Thomistica patronos. Unde elucet vanitas objectionis Quesnellianæ in *Explicatione Apologetica* pagina 69. ubi, postquam gloriatus est, se Articulis additæ declarationis Authorem esse, eandemque cum articulis Latinè, & Gallicè sapius edidisse, istud à se eo præstitum consilio testatur, *ut omnibus pateceret, non aliam de prædestinatione Sanctorum gratiã, non aliam de gratia ex se efficaci, & quinque (Janfenii) Propositionibus sententiam sibi, ac cæteris Augustini Discipulis esse, quàm sit Angelico Doctore, ejusque Scholæ doctissima. Quapropter videor mihi, inquit, non alio opus habere argumento, ut omnibus æquitatem amantibus persuadeam, quòd, cum circa materiam præsentem in Observationibus Moralibus non aliter locutus sim, quàm Schola Thomistica, non aliter etiam, quàm eadem Schola, sentire potuerim.* Antecedens, & Consequens Thomistæ negaverint; nam, inquit, neque locutiones hæreticas, & ad Janfenismum pertinentes, quas Constitutio UNIGENITUS proscribit, in Schola Thomistica deprehendes, neque iisdem vocibus in eadem semper significatione Catholicus utitur, & hæreticus. Quare de Novatorum, Thomisticas voces adhibentium, fallaciã que-runtur Salmanticensibus Tract. 14. de gratia pagina 108. his Hieronymi verbis epistolâ ad Pammachium, & Oceanum: *Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quaque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.*

Quesnellus in *Explicatione Apologetica* pag. 68. *Ante annos, inquit, viginti duos iterum editi fuerunt quinque Articuli, hortatu quorundam Cardinalium, inter quos Aguirrius, quòd eos aptissimos judicarent ad obturanda calumniantium ora, & fovendam pacem.* Quinam fuerint anonymi isti Cardinales, non inquiri; fortè fictitii fuerint, ut quod Eminentissimi Aguirrii iudicium refertur, inane commentum est. Nihil quidem initio in articulis Cardinalis invenerat dissonum à locutionibus Thomistarum; sed visis dein aliquibus in articulos animadversionibus iudicium suspendit. Inurere eis noluit censuram; neque nos inurimus; sed ad purgandum aliquem de Janfenismo, aliunde legitime suspectum, sufficere illos Cardinalis nusquam asseruit, & nos oppositum ratione multiplici demonstravimus. Ab Articulorum evulgatoribus, qui aliunde de Janfenismo accusantur, ad purgandum eorum à sinistra suspitione Fidem, & imponendum finem disensionibus, requirere non potuit novam Articulorum editio-

*Constitutio theol. propugn. Tom. I.*

nem, utpote utrique fini intento inutilem; sed prudentius consilium suggestit, damnationem publicam quinque Propositionum in sensu Janfenii, prout Alexandri VII. Pontificis formulâ præscribitur; vult præterea, ut deinceps à sententiis damnatæ in Janfenio doctrinæ nimium affinis abstineant. Tales è Lovaniensium quorundam Thesibus collectas pridem Aguirrius retulit, & nunc iterum in novâ Theologiæ S. Anselmi editione perfringit.

Eam hic prolegomenorum partem, ad quam à Quesnello remittitur, describam. Sic ait Cardinalis tom. 3. Prolegomeno 5. *At enim vix Romæ evulgata fuerunt folia illa, (Quesnelli cum 5. Articulis) cum statim ex adverso prodire scripta aliquorum, longè aliter narrantium, quæ Lutetiæ Parisiorum gesta fuerunt, in eorundem Articulorum collatione, & negantium omnino, illos ab Alexandro VII. probatos fuisse. Contendunt præterea multis considerationibus, & reflexionibus, sub iis latere Janfenismum, veluti ignem suppositum cineri dolofo, ut ille accinebat. Sanè ejusmodi objectiones aliquam mihi difficultatem ingesserunt, ut saltè iudicium sus-penderem, & quæstionem in medio relinquerem. Nam antequam illas legerem, nihil in ipsis Articulis detexeram censurâ dignum, vel alienum à doctrinâ frequentè Thomistarum, sicuti & nihil ejusmodi deprehenderunt Gonetus, & Contensonus.*

Tum inter cætera ad laudem clarissimæ illius Scholæ pertinentia, memorat hoc non minimum, quod *Apertè rejicit, & impugnat quinque illas (Propositiones) excerptas è libris Janfenii, juxta sensum ab Authore intentum, uti Alexander VII. rejiciendas docuit, & sanxit. Hoc ultimum si fecissent anonymi illi, qui prædictos Articulos nuper recudendos curarunt, longè amplius se obediens ostenderent erga Apostolicam Sedem, in suis definitionibus circa quaslibet Fidei, & morum controversas, nulli errori obnoxiam. Melius quoque conscientiæ suæ, melius famæ, & paci, & fraternæ concordiæ, cum omnibus aliis Catholicis Theologis quarumlibet Scholarum consulerent. Tribuerent etiam nobis amplissimam gaudii materiam, quantam olim doloris nonnulli Lovaniensium, dum proferrent, & publicè ederent, etiam post Pontificum; imò & post conditos eos quinque articulos anno 1663. Theses quasdam satis difficiles, ut mitissimè loquar, & quas multi nesciunt discernere à damnatis in Janfenio. Illarum specimen exhibeo in*

H

, variis